



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Pastorale Missionariorvm

Verjuys, Jean-Baptiste

Antverpiæ, 1682

2. An pro simulandâ fide uti liceat verbis amphibologicis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41565**

ARTICULUS II.

*An pro simulanda fide uti liceat verbis amphibologicis.*

**A**ffirmat Suarez tract. de fide disp. 14. sect. 1. n. 10. ubi inquit, utrum si fidelis interrogatur de Christianitate, & hoc intuitu religionis, ita ut qui interrogat per Christianum intelligat Christianæ Religionis Professore, possit excusari etiam à peccato veniali, negando se esse Christianum? Resolvit: si respondens sciat prudenter & rectâ intentione respondere, etiam posset mendacium excusare: quia cùm in eo casu non intercedat divinus honor, & interrogans non habeat jus interrogandi, habet locum intelligentia supra dicta, quod non tenetur se manifestare. Hæc P. Suarez: citat autem Navarr. lib. 5. consil. 10. aliàs 15. n. 2. tit. de hereticis qui tamen ibi dicit contrarium n. 6.

Dico igitur non licere in materia fidei respondere verbis amphibologicis, quæ ab interrogante accipiuntur pro negatione fidei, licet à respondente alius sensus intendatur.

Prob. Hæc resolutio ex epist. 7. Cleri Romani lib. 2. epistolarum S. Cypriani; *Qui fallaces in excusatione prestigias quarit, negavit, & qui vult videri satisfecisse legibus adversus*

E

*Evan*



*Evangelium positus, hoc ipso jam paruit, quod paruisse voluit. Ac proinde talis amphibologica negationis malitia, non tantum desumenda est ex mendacio, sed precipue ex injuria contra divinum honorem, fidei veritatem & Ecclesie auctoritatem, dum permittitur haberi, imo tali æquivocatione agit, ut habeatur ab audientibus pro hæretico. Si quis vero ex timore, aut ut aliis complaceret profertur verba blasphemie, quæ licet amphibologicè dicerentur, vellet tamen intelligi ab audientibus in sensu blasphemico, licet ipse apud alium intelligeret, eadem irreverentia externa committeretur contra divinum honorem, ac si absque tali æquivocatione blasphemias diceret, quamquam aliter sentiret internè; quia sensus internus ab ipso intentus manet occultus audientibus. Imo hoc idem inveniretur, si quis proximo conviciaretur, verbis quidem amphibologicis, volendo tamen ut audientes illa in sensu malo acciperent, licet ipse internè ad bonum sensum reflecteret. Indubiè talis pro contumelioso haberetur, & pro tali puniretur, & apud Deum reus esset externarum contumeliarum contra charitatem proximi. Idem est de exteriori negatione fidei per verba amphibologica, cum voluntate seu intentione ut interrogantes, seu audientes credant ipsum fidem negare.*

*Idem dicendum est de eo qui externè fingit se circa articulos fidei dubitare, ne aliis displicere*



displiceat. Qui enim fingit se in fide dubitare, fingit se fidei certitudinem negare, sine qua fides non esset fides. Talis etiam fictio dubitationis injuriosa est infallibilitati divinæ veritatis seu testimonii.

ARTICULUS III.

*An liceat negare se esse Sacerdotem aut Religiosum si hoc ab infideli petatur.*

**R**espondeo affirmativè: hoc enim non est fidem negare, sed tantum statum: potest enim servus Christi esse & verus Catholicus, licet non sit Clericus, Sacerdos aut Religiosus; Et si fidem negaret qui se Religiosum aut Clericum negaret, non liceret etiam uti veste sæculari, quod nemo dixerit. Et idem dicendum est de quacumque actione, sine qua subsistere potest fides, ut si Sacerdos interrogaretur an celebraverit, aut laicus utrum sacramentum audiverit; illa negando non nisi officiosum & veniale mendacium committeretur, à quo etiam excusari possunt aliud dicendo, quo formale mendacium evadant. In illis igitur & similibus casibus nec directè, nec indirectè fides negatur.